

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1566.

P A R S T E R T I A.

219

tissime Domine Doctor, & meminisse me tui, & cogitationem de Ecclesia vestra, & certaminibus, quæ sustinetis certè gravißima, nunquam deponere. Vidi maledicos duos libellos, contra te editos, Eraſti Medicastri alterum, alterum Sylvani; Deus bone, quanta est hominum istorum impudentia! quanta mentiendi libido? Spes Argentinenses tuos melius fundatos esse in vera Christi doctrina, quam ut his clamoribus à veritate deduci possint. Rogo, si quid contra hos Sycophantas scripsisti, per hunc tabellarium ad me mittas. Christianoro, ut te prælantem prælia Docetini adjuvet, ac multos tibi fideles ~~impuriores~~ adjungat. Nobis quoque aliquid certaminis fuit hac hyeme in causa Cœnæ Domini, nam & nostris Ecclesiis insidiatur Sathan. Filius DEI adsit nobis, & his turbulentissimis temporibus ipse nos doceat, ac destruat adversarium, Amen. Bene vale. Datae Idibus Februarii, subito,

1566.

Streitbergerus.

C II.

*Salutem per JESUM. Reverendissime D. Doctor.*

**Q**Uæ à vestro Ministerio sancto nostrum nunc petat, ex literis communis nostro nomine scriptis intelliges, & nobis gratificari non gravabimini. Scripto tuo contra Heidelbergensium deliramenta multi sunt confirmati, & plurimi, qui ex delatione adversariorum falsa, quosdam inter vos suspectos habuere, Ecclesiæ de hac inter nos concordia sunt gratulati. DEO sit aeterna laus & gloria.

Commendavi Venerando Viro Dn. Flinnero, duos adolescentes, quemadmodum is tibi referre poterit: Hos & tibi, mi Domine, commendatos esse velim, & ut eos juves, plurimum oro. Si fortassis apud vos locum habere non possent, & judicares, eos facilius Laugingæ inventuros hospitia, non gravaberis illis literas dare commendatorias ad D. Doctorem Celestinium, vel alios, apud quos tuas commendationes aliquid ponderis habere existimabis. Promitto ego vicissim tibi & tuis omnem meam operam, & CHRISTO te commendando. Vale in DOMINO. Datae Islebiæ, 1566. 7. Martii.

T.

Cyriacus Spangenberg.

C III.

*Gratiam & pacem per Christum.*

**C**Um in Borussia controversia incideret de justificatione hominis peccatoris, et si ea materia propriè nihil videretur pertinere ad tractatum de

E e 2

idio-